



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

X. Vota sæpe renouet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

DOCUMENTVM X.

Religiosum frequenter propositum & vota sua renouare, & annuersarium diem sui in religionem ingressus agere debere.

Quoniam ea est hominis in ærumnosa hac vita conditio, ut non à tum corpus, verum etiã anima paulatim magis atque magis senescat, id est, primum illum vigorem, vires, & pulchritudinem, per quotidiana, quibus Deum offendit peccata, sensim amittat: necesse est, ut Religiosus, qui in diuinis obsequijs nõ regredi sed progredi, non deficere sed proficere desiderat, singulari vtatur industria, ne tempore succedente in sua vocatione paulatim senescat, & in suis imperfectionibus profundo quodam somno consopiat. Quare vt ab hoc incommodo tutus ac liber sit, hac methodo vtetur. Quotannis diem illum quo Religionem diuina benignitate ingressus est, magna cum solennitate peraget, atque

atque in eo vota & proposita sua iterabit, & sic iuuentutem suam ut aquila renouabit. Quod olim magno in usu apud S. S. Patres fuisse, docet nos exemplo suo magnus Arsenius, qui diem illū quo mundo nuncium remiserat, omni anno hac celebritate transigebat.

1. Sacrosancti corporis & sanguinis Domini sacramentum magna cum deuotione percipiebat.

2. Tribus pauperibus, eam, quam pro sua voluntaria paupertate poterat eleemosynam dabat.

3. Refectionem ex leguminibus admittebat.

4. Religiosis ceteris cellam suam ingrediendi facultatem permittebat.

*De reformat. mē
tis cap. 2.*

Exod. 13.

S. Bonauentura eandem Nouitijs atque in eorū persona omnibus Religiosis dat instructionem, atque eā exemplo confirmat populi Israēlitici, cui Deus annuam beneficij liberationis ex Aegypto memoriam his verbis præcepit. *Mementote diei huius in qua egressi estis de Aegypto, & de domo*

*domo seruitutis, quoniam in manu forti
eduxit vos dominus de loco isto.* Ex quo
S. Bonauentura colligit multò ma-
gis omnem Religiosum eniti debere,
vt diei illius, quo ex Aegypto id est è
mundi huius tenebris ad Religiosũ
statum à Deo vocatus est, nunquam
obliuiscatur, sed quotannis festiui-
tatem illius, per deuotam memoriã
& gratiarum actionem, pro benefici-
js in ea perceptis, quàm deuotissimè
peragat. Si enim annua templi ali-
cuius dedicatio iure meritoq; cele-
bratur: nonne multò iustius & rati-
oni convenientius est, vt in memo-
riam Dedicationis animæ, qua illa in
templum uiuum, omnipotenti Deo
consecrata fuit, in singulos annos fe-
stus quoque dies agatur.

Vt autem Religiosus diem hunc
festum ritè celebret tria hæc ei faci-
enda sunt.

1. Integro ante diem ingressus sui
in monasterium, aut professionis fa-
ctæ, octiduo, se ab hominibus, quoad
fieri poterit, abstrahet, atque in cel-
lam recludet, (habita nihilominus
primum

primum superioris sui ad hoc agēdū expressa facultate) ibique omnibus alijs negotijs & occupationibus abdicatis, ad confessionem generalem ab vltima confessione generali, vel à tempore suæ professionis faciendū, se diligenter & sedulo præparabit: tum meditationes quoque de beneficio vocationis, de votis, de vitijs & imperfectionibus suis adijciat.

2. Pridie illius diei quo professionem edidit, aut ipso die confessionem maxima cum cordis contritione, firmissimoque emēdationis proposito faciet, adiectis nonnullis poenitētijs & mortificationibus, ex cōsilio siue consensu patris sui spiritualis.

3. Preciosissimi corporis & sanguinis Dominici sacramentum percipiet, & paulò ante susceptionem vota sua renouabit, eaque submissa voce ijsdem verbis, quibus in professione vltus est, iterabit, ac denuo Creatori suo se totum offeret ad seruiendum illi in vera paupertate, castitate, & obedientia: vehementem quoque

quoque dolorem cōcipiet, quod hactenus vota sua diligentia seruare atque in perfectionis semita feruentius progredi non studuerit.

Caveat tamen ne tam elata voce hæc agat, vt ab alijs exaudiatur: & si Sacerdos est, omnia quæ de votorum renouatione dicta sunt, post absolutū missæ sacrificiū faciet. Hoc pacto Religiosus frequenter deberet vota sua renouare, vt memoriã sibi promissorum Deo factorum refricaret, seqs in vocatione sua magis ac magis roboraret, & ad perfectionem excitaret. Atque idcirco operæ pretium facturus esset, si votorū suorum formulam memoriæ commendaret.

Religiosum ita se omni die gerere debere, quasi primum inciperet.

Est & alter modus, quo Religiosus à periculo tepiditatis se preseruare & ad quotidianum in via spirituali profectum excitare potest: si nimirum indies de nouo incipiat, & cum Regio Propheta dicat. *Ecce nūc* Psal. 76.

D

capit.